



ALIQUOT

Epistolæ sane quam elegantes
ERA SMI R OTER ODA
M I, & ad hunc aliorū erudi
tissimorum hominum,

Quarum titulos in proxima
pagella lector reperies.



CARMEN HER. BVSCHII AD ERAS. ROT. in

Hispanumq; Tagum, per Hibernica littora, perq;
Orchadas, & nostro semotos orbe Britannos,
Terrarum reges, quem fuluo munere iungunt,
Conciliantq; sibi, quo fante, ignobile ducunt
Eloquium Pyliæ quod fluxit ab ore senectæ.

Quo citharam tendente, & apollinei peragente
Officium vatis, stupet ipse ad carmina Phœbus.

Calliopecq; sui gemitu reminiscitur Orphei.

Venit, certa fides, vidi, vidi ipse cupitum

Optatumq; mihi toties, occurrere vultum:

Hospitis egregij, dextramq; amplexus inhæsi.

O blandi mores, o fandi exacta facultas,

Quanta vetustatis, linguæq; scientia docto,

Quanta vtriusq; viro, quantum discessit ab illo

Barbaries, ruditas, ignaua superbia, liuor

Degener, immo alios multos secum attulit ipse

Diuersos comites grauitas sine nube renidens

Ingenuusq; lepos, Pitho, Charitesq; sorores,

Pegasidesq; omnes, gressus comitantur euntis,

Florenteisq; rosas gestans, posita ægide Pallas.

A D E V N D E M.

Hæc legit Erasmus si carmina fronte serena.

Tum longe accepi plus, minus ipse dedi.

AD ERASMVM ROTERODAM VM IMMOR
TALE BELGARVM DECVS ἐκατόσιχον
HENRICI GLAREANI HELVE
TII POE. LAV.

SOmnis iners hoīes, mutumq; inuaserat orbem
Preßerat & terram nocte silente quies.

Ipse soporifero ponens mea membra grabato
Occubui, & tenebris pene sepultus eram.

CARMEN HENRICI GLAREANI

Ecce sub obscuro visa est tua Musa nigrore
Ante oculos volitans protinus esse meos:
Non secus ac nebulis latitet si Phœbus opacis,
Aut sub nube nigra, candida luna micet.
Tum pepulit radis quodcunq; obstabat amoenis
Cessit & omne, illa discutiente, chaos.
Subticui, caput haud tenuem erecturus ad auram,
Expecto sitiens quid velit illa loqui.
Diua verecundo dum me videt ore tacentem,
Auriculam prendens vellicat atq; premit.
Cur meme dixit, cur compellare vereriss?
Cur nostros surda negligis aure sonos?
En venio, quia doctiloquus sic iussit Erasmus,
Non titubes, votis præsto erit ille tuis.
Illi ambrosio quanq; frons nectare fusa est,
Atque Helicon sacro lauerit amne comam,
Nec tamen exiguum paruo de flumine riuum
Nec tremulæ spernet stamina rauca lyræ.
Iceler, optatum inuenies, & habebis amicum,
Quem dare non alium secula posse putas.
Dixerat, & sonitus blanda cum voce recessit.
Inq; leuem volitans aera præpes abit.
Excutor somno, video cecidisse figuram,
Cui responderem nemo nisi auræ fuit.
Ergo o præsidium, & spes iucundissima vitæ,
Dux & iter vere dulcis Erasme viæ.
Ausculta tua Musa meis discessit ocellis,
Illi debueram paucula verba loqui.
At quia discessit, nec sit cui singula dicam,
Hæc iussi Musam verba referre meam.
Scilicet ut dignas tibi vir doctissime grates
Offerat, id quanquam non bene posse reor.

Nanq; ego cui moduli, cui nec sit culta Minerua,

Qui possim dignum ludere quæso melos?

Nec tibi pro meritis, quas dicam nosco camœnas,

Da veniam modulis ingenioque meo.

Sunt mihi raucisono stridentia carmina plectro,

Et tenuis surdo murmure vena data est.

Clauserunt placidæ Dirceia flumina Musæ,

Et mihi Parnasi blanda fluenta negant.

Arida vix mihi Clitorio sitis amne leuatur.

Vix mihi Salmacidos mollia damna patent,

Si tibi raucidula stridentem voce cothurnum

Percutiam, dices heus miser ito foras.

Si rursus citharam plectro crepitante fatigem,

Nænia inest dices carmine barda tuo.

Quid pie Erasme canam; nisi garrulus inter olores

Argutos strepitem, coruus & anser iners.

O vtinam Andini mihi sit facundia vatis,

Et sint Pelignæ carmina docta lyræ.

Te canerem longo vir præstantissime libro,

Nullaque pars vacuo margine abiret iners.

At longe tua me probitas, tua viuida virtus

Vincit, & est versu non bene picta meo.

Quæ natura sagax imis tenet abdita valuis,

Tota intra ingenium scis posuisse tuum.

Tu oculis certus cœlestia regna subintras,

Tu penetras summi limina celsa poli.

Quot sint, quæ rerum species, quæque orbis origo,

Vtq; locum capiant quæque elementa suum,

Splendida quo rapido voluantur sydera lapsu,

Vnde tuum lateat candide Phœbe caput.

Quidq; sub obscuram cogat decrescere lunam.

Vnde pluat rosea discolor iris aqua,

CARMEN HENRICI GLAREA. AD ERAS. ROT.

Quæ solidas quatiat violenta potentia terras,

Cur volitent dubio fulmina sœua polo.

Cur scindunt piceas horrenda tonitrua nubes,

Vnde ruat gelidis stridula grando globis.

Cur quod non cecidit sydus cecidisse videtur,

Et quæ sint reflui semina cæca maris.

Quæ subsint casu, quæ nam fortuna volutet,

Perfida ventosis non bene recta rotis.

Cur sol Aethiopes vrat, cur denigret Indos,

Cur minuat radios trux Arimaspe tibi.

Omnia pernoscis, maiore es dignus honore,

Quam tenui versu commemorare queam.

Roma velut digne magno Cicerone superbit,

Et Demostheneis Attica turba sonis.

Septem vrbes certant docto quæ patria Homero,

Treis genuis magnos Corduba clara viros.

Vnum te solem, quamuis & sydera multa

Protulerint oris Belgica regna suis.

O lætum festumq; diem, qui numine dextro

Te dedit in nostros mittis Erasme lares.

Qua scindit liquidus Basileia mœnia Rhenus,

Qua sunt Heluetijs fœdera prisca viris.

Est in te grauitas matura, modestia prudens,

Socratici mores, Cæsareusq; decor.

Ingenium fœlix, quo non præstantius ullum

Dotibus hisce tuis Attica terra tulit.

Sed te præcocibus iam parcere versibus opto;

O decus, o Bataui gloria prima soli:

Tu dabis omnigenam matura in carmina venam,

Tu dabis ad Musam calcar & arma meam.

Hactenus hæc, Batauæ sydus venerabile gentis,

Lux Alemannorum candide Erasme vale,

F I N I S.